



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XVIII. Armati abdicati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

lo accusatore punisti: inferior illa, quam te vindicare simulasti. Quis te, oro, poterit aut liberare flentem, aut flere damnatum?

XVII.

Pædagogus cruciarius.

CIVITATEM PEREGRINUS USURPANS VENEAT. Pauper & dives inimici visi sunt in gratiam redisse. Pauper accusatus peregrinitatis, venit: emit eum dives & pædagogum filio dedit. Adolescens in adulterio deprehensus, occisus est: agitur pædagogus in crucem: appellat tribunos de injusto supplicio.

PRO PÆDAGOGO.

Equidem, iudices, propitium mihi divitem semper optavi, totum me divitis fidei, &, antequam redimerer, addixi. Audio me subito peregrinum, quod nec pater ipse nec mater aliquando prodiderat, nec denique unquam inimicus dives objecerat. Filio me luxurioso jam & petulanti¹ dedit: quamvis omnia & pater ipse curaret & regeret. Imploro auxilium, quod vestri majores servis etiam natis reliquerunt. Unum non est in servitute nasci, & libertate multari. Statim credidisti fidum, & idoneum judicasti, sed non esse felicem jam tum scire potuisti. Occisus est, inquit, filius meus. Si injuria, interfectorem argue: si jure, leges. Ego illum adulterum feci, credo, luxuria mea, servus novitius & pauper, antequam servus. Multa largiebaris, indulgebas omnia, nihil unquam negabas.

XVIII.

Armati abdicati.

Abdicati ad curiam convenerunt armati, petentes revocari. Unus ex patribus contradixit: filius ejus se interemit. Idem suadet, ut recipiantur.

PRO ABDICATIS.

Peto, ut indulgeatis iræ domesticæ, cum me videatis publice poenitere sententiæ. Nam sicut in vita nunquam

¹ Dedit quamvis. Pith.

² Publicè.] Malim, publicæ. Idem.

quam errare, felix est: ita errorem quamprimum emendare, sapientis. Parentum illa deliberatio fuit, hæc jam cunctatio parricidarum est. Ætate lapsi sumus, egestate correcti. In hoc vos exoramus loco, in quo etiam hostes superati non frustra supplicaverunt. ¹ Ergo ille tristis, & sævus cum abdicarem tamen fui, & semper ex eo licet tacitus ingemui, & opportunum jus restitutionis optavi. Restituet vobis filios auctoritas publica, tanquam alia natura. Vereor jam P. C. ne sapientior videatur & certior ille abdicatorum senatus. Fateor, armatorum facie ² non immerito *, tremur enim sua morte. Quemadmodum possum te, fili carissime, vel in morte revocabo, inferam majorum sepulcris, & elogio, quod optasti, nomen inscribam.

X I X.

Abdicatus immolandus.

In pestilentia responsum est finem futurum immolato eo, qui patrem non haberet. offert se abdicatus. Qui abdicavit, contradixit.

P R O A B D I C A T O .

AMplexus sum mortem usque adhuc necessariam, nunc etiam gloriosam. Mori prohibes, & intervenis, quo minus spiritum, quem fortunæ meæ debeo, patriæ profundam. Quotiens te video, totiens scio me patrem non habere.

X X.

Prostitutus ex geminis.

Ex duobus geminis alter prostat, reddit alter in senatu causas mortis voluntariæ.

P R O F R A T R E M O R I T U R O .

UTinam quidem P. C. mori vellet frater! homini verecundo, cui necesse est, ut ea de germano meo dicam, quæ tanti habeo perire, ne videam. Nostis nos, P. C. Etenim pluribus noti sumus, quam & ætas & verecundia

¹ Ergo ille tristis.] Scribe: Ego ille tristis & sævus, cum abdicarem, tamen flevi. Gronov.

² Non immerito * tremur enim.] Forte: Fateor armatorum facie non immerito tremur. Terrent & sua morte. Idem.